

colligata sunt, quemadmodum esse videmus humanum corpus, & caput. Propositio in argumento est articulus fidei: isque a nobis est antea defensus, & confirmatus; simulque repressi politici quidam, qui fraude mala utiles mores a necessariis distinguentes, in his dumtaxat informandis Ecclesiam falli non posse existimabant. Nunc illud adjungam, quod ad rem conficiendam maxime valet, & ex Christi Domini, Paulique sententiis plane similibus perspicuum est, Ecclesiam Dei esse immunem erroris, non solum ubi quidpiam definit, sed etiam cum publice docet ad mores pertinens. *Docete*, Dominus inquit (a), *omnes gentes; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: non tantummodo, *definite*. Et Paulus ipse Ecclesiam nomine docet, quid ab Episcopo, ceterisque ministris præstandum sit; nec tamen utitur singulari vocabulo definitionis, sed simpliciter habet: *Hæc tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*. Quod si quis affirmet, Paulum, cum docet, errore vacare, Pontificem Maximum non item; dignus est, qui repulsus communionem Romanam, inter hæreticos, vel eorum fraterculos semicatholicos habeatur. Sed hoc non dicet, opinor, auctor libelli, ne, qui munus, ac partes consilarii ultro suscepit, manifestus hostis appareat Ecclesiam Romanam. Nec ipse illud negare potest, quod Theologis omnibus certum est, cum Pontifex judicat, Ordinem quempiam religiosum ad honestius, perfectiusque vivendum, re ipsa conducere, eum falli non posse; cum tamen illud iudicium definitio non sit, sed tantummodo magisterium. Jam vero cultum immunitatis Deiparæ ab Ecclesia præscriptum, & usitatum res est manifesta in lumine naturali per ea, quæ legimus in decreto Alexandri Pontificis: tum ex usu Ecclesiam Romanam, omniumque cum illa communionem habentium perspicuum est, cultus objectum in hoc Mysterio esse Deiparæ immunitatem ab originis labe. Ex quibus efficitur

Theo-

(a) *Matt. cap. ult.*